



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De passione domini in consecratione corporis miscenda. v.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*De passione domini in cōsecratione corporis mi-
scenda. Cap. V.*

IN sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Mis-
sarum solennia domino offeruntur, passio domini miscen-
da est, ut eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio ce-
lebreur, ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis
tantum & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur.
Nō debet enim, ut à patribus accepimus, & ipsa ratio docet,
in calice domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed v-
trumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in sua passione
profuxisse legitur. Ipsa verò Veritas nos instruxit, calicem &
panem in sacramento offerre, quando ait: Accipite Iesus panem
& benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite &
manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Si-
militer, postquam cenauit, accepit calicem, deditque discipu-
lis suis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic est
calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissio-
nem peccatorum. Crimina enim atque peccata oblatis his
domino sacrificiis delentur. Idcirco & passio eius in his
commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitan-
da, atque hæc domino offerenda. Talibus hostiis delectabi-
tur & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Ni-
hil enim in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & san-
guis Christi, nec ulla oblatio hæc potior est, sed hæc omnes
præcellit: quæ pura conscientia domino offerenda est, &
pura mente consummanda, atque ab omnibus veneranda.
Et sicut potior est cæteris: ita potius excolitur, & venerari
debet.

*Ex decr.
Alexan.
pap. c. 5.*

*Quæ species ad altare non ad sacrificandum, sed ad
benedictionem simplicem offerantur. Cap. VI.*

Offerri nō liceat aliquid ad altare præter nouas spicas, &
& vvas, & oleum ad luminaria, & fabas, & thymiana
ad incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

*Ex cano.
apostola.
cap. 4.*

De eadem re. Cap. VII.

HAEC species quas non licet offerre super altare
iuxta constitutionem apostolorum eorumque succes-
sorum, ad domum sacerdotum deferantur, & à sacerdotibus
benedicantur, & simplici benedictione benedicta demum
à populis sumantur. Fabæ tantum & vva, nouæ spicæ, &

*Ex decr.
Melchis.
pap. ca. 1*